



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Dei Præsentia

Le Gaudier, Antoine

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. XXXI. Quomodo in alijs omnibus creaturis præsens sit & operetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50583](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50583)

CAPVT XXXI.

*Quomodo in alijs omnibus
creaturis presens sit
& operetur.*



DEMUM in omni-
bus creaturis in-
sensibilibus presē-
tem cum agnos-
cere licet, & operantem id
quod sunt, laborantemque
cum iisdem, & mihi vel be-
nefacientem, vel nonnun-
quam punientem me, & va-
rijs modis exercentem. Ipse
mihi cibum offert, & in cibo
seipsum, vt eius me substan-
tia alat, & sustentet, ipse in-
igne me calefacit, vestit & te-
git in indumentis, recreat in
colo-

coloribus & floribus. Denique per tot creaturas mihi insinuat suam bonitatem, & perfectiones, quot in meos quotidie sensus incurrunt. Quod mihi potissimum in refectione corporis considerandum est, vt non tantum fide viua illum vt praesentem & mihi ministrantem apprehendam; sed cibo ipso, aut magis amore suo me reficientem, & seipsum mihi intimè vnire cupientem. Ex qua consideratione, & magna in eo fiducia, & profunda quaedam humilitas existet.